


fuerit ipsi a b, sub ipsa ac duplicata semissis, quæ fit c f, cadet inferius. Sin minor superior erit, prout accidit tales lineas propinquiores remotioresq; fieri à centro per xv. tertij Euclidis. Tuncautem ipsi b e parallelus agatur f g, quæ secet ipsam b d communem circularum sectionem in g signo, & connectatur c g. Manifestum est igitur, quod e f g angulus est rectus, nempe æqualis ipsi a e b, atq; e f c dimidia subtensa existente c f dupli ipsius a c etiam rectus. Erit igitur c f g angulus sectionis ipsorum a b a c circularum, quem idcirco etiam assequimur. Nam d f ad f g est, sicut d e ad e b, similes enim sunt d f g & d e b trianguli. Ac in eadem ratione est etiam d g ad d b, dabitur etiam ipsa d g in partibus quibus est d c  $\frac{1000000}{1000000}$ . Quinetiam qui sub g d c angulus, datus est per b c circumferentiam. Ergo per secundam planorum datur g c latus in eisdem partibus, quibus reliqua latera trianguli g f c plani, igitur per vltimam planorum habebimus g f c angulum, hoc est, b a c sphæricum quæsitum, ac deinde reliquos per xi. sphæricorum percipiemus.



### XIIII.

Si data circumferentia circuli secetur utcumq; ut vtrumq; segmento fit minus semicirculo, & ratio dimidiæ subtendentis vnius segmenti, ad dimidium subtendentis duplum alterius data fuerit, dabuntur etiam ipsorum segmentorum circumferentiæ. Detur enim circumferentia a b c, circa d centrum, quæ utcumq; secetur in b signo, ita tamen ut segmenta sint semicirculo minora, fuerit autem ratio dimidiæ sub duplo a b ad dimidiam sub duplo b c aliquo modo in longitudine data, aio etiam a b & b c dari circumferentias. Subtendatur enim a c recta, quam secet dimetiens in e signo, à terminis autem a c perpendiculares cadant ad ipsum dimetientē, quæ sint a f, c g, quas oportet esse semisses sub duplis a b & b c. Triangulorū igitur a e f & c e g rectangulorū anguli, qui ad e verticem sunt æquales, & ipsi propterea trianguli æquianguli ac similes, habent latera proportionalia æquales angulos respicientia. Vt a f ad

C iij c g

